

- 125 Ante Jovem nulli subigebant arva coloni :
ne signare quidem aut partiri limite campum
fas erat ; in medium quaerebant¹, ipsaque tellus
omnia liberius nullo poscente ferebat.
Ille² malum virus serpentibus addidit atris
- 130 praedarique lupos jussit pontumque moveri,
mellaque decussit foliis³ ignemque removit
et passim rivis currentia vina repressit,
ut varias usus meditando extunderet artes
paulatim, et sulcis frumenti quaereret herbam,
- 135 ut silicis venis abstrusum excuderet ignem.
Tunc alnos primum fluvii sensere cavatas ;
navita tum stellis numeros et nomina fecit
Pleiadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton⁴.
Tum laqueis captare feras et fallere visco
- 140 inventum⁵ et magnos canibus circumdare saltus ;
atque alius latum funda jam verberat amnem
alta petens, pelagoque alius trahit umida lina.
Tum ferri rigor atque argutae lammina serrae⁶
(nam primi⁷ cuneis scindebant fissile lignum),
- 145 tum variae venere⁸ artes. Labor omnia vicit
improbis et duris urgens in rebus egestas.

¹ *In medium quaerebant* : ils cherchaient [tout] pour le mettre en commun

² *Ille* = Jupiter

³ *Mellaque decussit foliis* : on pensait que dans l'âge d'or les feuilles des arbres étaient enduites de miel, ce qui n'est plus le cas à partir de l'âge d'argent. D'où la nécessité de l'apiculture.

⁴ *Lycaonis Arcton* : l'Ourse, fille de Lycaon

⁵ *Inventum [est]*

⁶ *Argutae lammina serrae* : les dents de la scie stridente.

⁷ *Primi* : les premiers hommes

⁸ Attention à cette forme verbale !